

DE
MASTITIDE.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

PRO SUMMIS

**IN MEDICINA, GYNECLOGIA ET ARTE
OBSTETRICA**

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE IX. MENSIS MARTII A. MDCCCXLIV.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AMILIUS PRÖMPY

GLARONENSIS.



TURICI.

TYPIS CAROLI KÖHLERI.

1844.

CARISSIMIS SUIS AMICIS

ET

COMMILITONIBUS

JOANNI WARPENWETTER

MEDICINAE DOCTORI

JOANNI JACOBO HEGETSCHWETTER

MEDICINAE CANDIDATO

ET

BERNARDO BECKER

THEOLOGIAE STUDIOSO

ET IUG. LIBELLUM

D. D. D.

A U C T O R.

DE MASTITIDE.

SYNONYMA.

Böse Brust, Brüdruſenentzündung, *inflammatio mammae, mastodynia phlegmonosa et ulcerosa, abscessus mammae.*

INTRODUCTIO.

Mamma est organon ad apparatus sexualem feminae pertinens, ad infantem recens natum lacte e propria glandula, scilicet mamma, secreto nutriendum destinatum. Quemadmodum infans partus locum tenet superiorem quam foetus, ita etiam mamma inter organa sexualia feminae momenti longe maximi est propterea, quod ipsa hominem nutrit, dum cetera non nisi ad foetum alendum facta sunt. Itaque mamma etiam nobiliorem corporis muliebris partem occupat eamque decorat. At multis quoque malis illa est obnoxia, adeo, ut paucas mulieres invenias mammis normalibus prorsus atque sanis gaudentes. Neque vero animum induximus, de multis istis malis disserere, quibus mamma laborat, sed in eo, quod est gravissimum, tractando acquiescemus, dicimus inflammationem, eo magis dignam, ad quam animus advertatur, quod ejus natura ab aliis inflammationibus longe differt, quod saepe occurrit, postremo quod, si prave curatur, plerumque malum even-

tum habet. Qua de causa diligentior naturae illius momentorumque curationem moderantium cognitio necessaria est, eo magis, quod pauci inveniuntur morbi, qui, quamvis gravissimi sint, tamen saepe aut negliguntur aut perverse curantur et tanta, quanta inflammatio mammae incommoda relinquunt. Itaque quoniam toties fere malus exitus vel morbus neglectus, quoties morbus integer vel modo oriturus medico curandus erit, non solum decursus, sed etiam curae ratio omnino est cognoscenda.

Inflammationis mammae sedes est vel in sola cute et tela cellulosa, vel in ipso glandulae parenchymate; illud nil nisi erysipelas est, sive verum sive spurium, et plerumque unum solum, raro cum altero genere, scilicet cum mastitide conjunctum decurrit. Jam primum de erysipelate mammae exponemus, ab hac superficiali inflammatione ad profundiores transgressuri.

I. Erysipelas mammae.

Erysipelas mammae aut solum aut cum mastitide conjunctum occurrit. Exorditur rubore per totam mamam superfuso, splendido, qui, ubi mamma premitur, fugit, statim vero, ubi a pressu absistitur, redit; cutis simul superficies est tumefacta. Aegroti de pungente et urente dolore in superficie mammae queritur; aestus quoque est permagnus.

Si erysipelas cum mastitide conjunctum est, id quod tum praesertim, quum haec vehementior surgit, esse solet, tota mamma magnopere intumescit ac durescit; in tela cellu-

losa suppuratio oritur et abscessus formatur, qui mox multum negotii medico facessit. Interdum simul papilla morbo afficitur, quod si eo tempore fit, quo mater infantem lactat, papilla dolet, intumescit et inflammatur, ita ut, quoniam infans mammae admoventi non potest, lacte coagulato, mastitis nascatur, complicitae prorsus par judicanda.

Causae erysipelatis mammae plerumque eadem atque erysipelatis omnino sunt. Itaque praecipue eae mulieres illo afficiuntur, quarum mammae in statu irritato sunt, vel eae, quae omnino saepe erysipelate vexantur, tum puellae, quae in pubertatis aetatem ingrediuntur, qua aetate mammae turgescere incipiunt, denique gravidae, puerperae, lactantes. Inter causas externas ira, refrigeratio, stasis abdominalis, decoctio perturbata referendae sunt.

Decursus et exitus. Si normalis decursus erysipelatis mammae cura morbo ipsi repugnante non turbatur, sed idonea remedia adhibentur, illud fere resolutione finitur: et rubor et dolor minuitur, donec prorsus desinit; epidermis desquamatur et simul crisis cum sudore et sedimento in urina exoritur. Raro malum in suppurationem transit, plerumque tantummodo tum, quum parenchyma simul affectum est; gangraena prope nunquam invenitur.

Prognosis fausta est, si erysipelas est simplex; sin vero complicita est cum mastitide, hanc sequitur; si papilla admodum afficitur, non ita fausta est prognosis, attamen raro prorsus infausta, nisi accedens fortasse parenchymatis inflammatio male decurrit.

Therapia hujusce erysipelatis eadem est atque universalis erysipelatis. Quoad curam externam optimum remedium est calor siccus pulvillis herbis idoneis aut furfure

refertis, pellibus, lino, lana per mammam diffusus, qui, quominus erysipelas latius serpat aut refugat, impedit. Si vestigium est, quod significat, erysipelas refugisse, pulvilli calidi camphora oblinendi sunt, vel speciebus solventibus, quae in illis sunt, aliquae camphorae copia admiscenda est. Simul momenta causalia removenda sunt, id quod, ubi symptomata gastrica apparent, emetico aut evacuante efficitur; animo aliquapiam re affecto, corpus a frigore muniendum, nec vero nimis calefaciendum est; infusum theae Valerianae vel Chamom. et, si status irritatior est, Pulv. temp. praebendus. Ubi erysipelas perfri-gescendo nascitur, lenis diaphoresis juvabit. Denique si malum latius patet, vel si inflammationis character vehementior apparet, hirudines circa locum inflammatum applicandae sunt. — De curanda suppuratione infra, ubi mastitidem proprie dictam tractabimus, uberius agetur.

II. Inflammatio parenchymatis mammae.

Brustdrüsenentzündung, mastitis s. inflammatio mammarum.

1. Mastitis extra periodum, qua mulier infantem lactat.

A. Mastitis traumatica.

Mastitis traumatica varia est, prout mamma ictu, plaga, sectione vel punctione violata est. Si contusio vel ictus vel plaga malum progenuit, dolens mammae tumor ac saepe sugillationes observantur. Mamma admodum proclivis est ad duritiem eamque malignam, quae postea in Scirrhum mutatur. Itaque ante omnia medico id est spectandum, ut, quominus scirrhus evolvatur, prohibeat, duritiem re-

solutione tollat vel denique, nisi hoc succedit, suppuratione effecta exitum pessimum, scilicet scirrhum, praeceat.

Primum ad sugillationes tollendas cataplasmata ex aqua Goulardi, Saturnina, vino adusto, aqua frigida, solutione Ammon. mur. vel aceto imponuntur, quo facto plerumque dolor quidem cedit, raro autem altior ille tumor, cujus magna ad duritiem proclivitas est. Itaque permultum interest, tumorem resolvere, id quod vero rarissime succedit propterea, quod inflammatio serpens quidem tantum atque lenis, sed pertinax manet, donec induratio plane se evolvit. Quamobrem primum quidem, quaecunque sunt remedia resolventia, eorum periculum fit, quibus vero quoniam raro medicus eo deducitur, quo intendit, suppuratio alioquin metuenda ei est expetenda. Neque vero remediis suppurationem juvantibus utendum est, priusquam sugillationes et dolores cohibiti sunt. Jam vero si inflammatio longius progreditur, suppurationi accelerandae opera est danda. Itaque per aliquot dies cataplasmatibus supra dictis adhibitis, loco violato unguent. neapol. cum linimento volat. infricatur. Qua re non solum sugillatio plane in resorptionem mutatur, sed etiam inflammatio serpens eo usque augetur, ut pro induratione suppuratio progignatur. Dolores jam rursus vehementiores evadunt, tumor ruborque augetur, donec post aliquot dies fluctuatio existit. Eo si perventum est, omissis fomentationibus hucusque adhibitis, calida cataplasmata ex pulve constantia applicantur; simul unguentum supra memoratum infricatur, donec puris major copia accumulata est, ita ut conjici queat, omnes mammae partes affectas in pus esse versas. Tum mammae suppuratio ita curatur, uti paulo infra

explicabitur. — Quamquam alioquin suppuratio malus exitus est, praesertim in mastitide, tamen in hac suppurationis specie medicus eo, quo vult, pervenit, scilicet ut hoc malo leviori majus, scirrhus, praepediatur.

Alia prorsus est natura ejus inflammationis mammae, quae secundo efficitur, ubi plerumque prima intentione conjunctio efficitur, et rarissime tantum suppuratio nascitur. Ut conjunctio maturetur, sufficit emplastra adhaesiva una cum fascia pectorali idonea applicare; ita sutura cruenta non est necessaria, qua quum facile inflammatio progignitur, induratio proficisci potest, cui, sicuti supra diximus, summa diligentia est occurrendum. Fascia pectorali, cujus ope mamma ex libidine tolli et commode collocari potest, ita contineri margines vulneris possunt, ut, si simul emplastro adhaesivo junguntur, facile concrecant. Ubi symptomata inflammatoria conspiciuntur, ungu. neapol. infriatum indurationibus praecavendis sufficit.

In curandis vulneribus pungendo mammae illatis primum id agitur, utrum thoracem an solam mammam penetrent. Si apparent signa, thoracem transfossum esse, gravioris mali prima ratio habenda et, si necessarium est, mammae vulnus dilatandum est. Plerumque quidem tum parenchymatis mammae inflammatio oritur tam late patens, quam patent vulneris margines; sed minus inde incommodum proficiscitur, quando altum pectoris vulnus sanatur. Quod si successit, induratio impugnanda est, quae nunc quoque saepe ungu. neap. cum cicuta, belladonna aliisque resolventibus remediis tollitur. — Jam vero si vulnus thoracem non penetrat, curatio simplex est, propterea quod plerumque suppuratio bene decurrens existit. Et hoc quidem in casu vulnus dilatate pariter nocet atque

indere penicilla, quibus facile vulneris margines durescunt. Quamobrem optimum est nil facere, nisi mammam fovere et apta fascia sublevare. Quod si fit, prospera suppuratio se evolvit, ita ut brevi tempore vulnus cicatrice obducatur et sanetur.

B. Mastitis dyscrasica.

Interdum mamma æque ac aliae glandulae dyscrasiis inflammatur, ejusque inflammationis decursus multo est longior. Ad eam levandam remedia talia sunt adhibenda, quae dyscrasie medentur, quae priusquam sublata est, remedium topicorum usus aut nullus est, aut tantummodo is, quod ad cicatrices melius formandas faciunt. — Causa hujusce mastitidis plerumque scrophulosis est, qua sublata etiam malum topicum cedit.

C. Mastitis congestiva.

Puellae eo tempore, quo pubertas se evolvit, nonnunquam inflammatoria mammae intumescencia vexantur, cujus causa in aucta congestione per consensum cum irritato systemate uterino inest. Quod vero malum levius est et plerumque desinit, simulatque irritatio in partibus genitalibus remisit. Hirudines, cataplasmata frigida, evacuantia malum sublevabunt. — Eodem modo mulieres steriles, virgines ætate provectiores, quarum coeundi appetitus non expletur, omnino eae omnes, quarum functiones uterinae turbatae sunt, saepe mammarum affectionibus laborant, quae ad indurationem procliviores quam ad inflammationem esse solent.

2. Mastitis earum mulierum, quae infantem lactant.

Haec mastitis plerumque mammam totam, raro tantum ejus aliquam partem aggreditur.

A. Mastitis partialis.

Mastitis partialis primum dolore proditur, qui plerumque circa papillam simul intumescens ac rubescens continetur. Quem dolorem etiam aliquae reactiones febriles et, suppuratione incipiente, horroris vestigia comitantur. Sensim sensimque locus mollior redditur, fluctuatio oritur, tumor crescit, pallescit, denique rumpitur. Diligenti cura paulatim puris copia e mamma effluens minuitur, margines sibi appropinquant et denique concresecunt. Utilissimum hoc in malo est, si femina infantem lactare pergit; permanente enim lactis secretionem mastitis partialis a mastitide perfecta discernitur; non nisi pars mammae papillam circumdans et papilla ipsa inflammata est, mox mastitis universalis, retento lacte, quod evacuari amplius non potest, procreata existit. Si lactare infantem mater pergit, id quod saepe vehementi cum dolore fit, inflammatio plerumque aut plane discutitur aut indurationem tantum parvam relinquit. Saepissime autem mater mammam praebere sinit, partim ut doloribus, qui lactando moventur, liberetur, partim quod medici et obstetrices immerito a lactando dehortantur. Tum malum plerumque vertitur in suppurationem, mastitide, uti supra demonstratum est, universali progenitam, cujus curatio ea est, quae mox describetur.

B. Mastitis universalis.

Symptomata. Vehemente mammae affectione inflam-

matoria etiam organismus mali particeps fit, unde febris, varia quidem, aut ante aut post inflammationis exordium nascitur. Morbus affectione febrili inchoari solet, quae, ubi suppuratio existit, repetitur; plerumque febris jam antea desiit. Raro natura febris inflammatoria est, sed maxima ex parte erethica. Affectio topica conspicitur tumore, rubore et vehementibus doloribus per totam mammam saevientibus. Sed horum symptomatum ratio sibi nequaquam semper constat.

Tumor per totam mammam aequaliter ab initio diffusus in decursu mali tum mutatur, quum pus profundius descendit et in altera magis parte mammae secernitur. Ab initio mamma est solida, valde extensa et postea demum, secundo morbi stadio, mollescit. — Dolor totam mammam aequaliter occupat et suppuratione existente minuitur, ubi primo pulsans est, sed brevi cedit. Lactis secretio prorsus comprimitur, quoniam mastitide perfecta simul corripitur papilla, quae nisi simul esset inflammata — id quod fere nunquam accidit — ab initio exigua lactis secretio fieri quidem posset, quae vero tum et ipsa cessaret, quum ductus lactiferi obturati essent. — Ruboris ratio est varia; in certis quibusdam casibus nullus plane est rubor, tum scilicet, quum inflammationis sedes altior est et natura mitior. Eo autem tempore, quo abscessus est erupturus, tamen singulae maculae rubrae eo loco, quo ille se est patefacturus, conspiciuntur. Saepe ab initio pauci tantum loci rubri apparent indicantes, ubi postea suppuratio sit evasura. Nonnullis in casibus rubor per totam mammam aequaliter diffusus est et tum quidem permagnus, quum inflammatio simul telam cellulosa corripit. Attamen plerumque eos tantum locos rube-

factos videmus, ubi pus est erupturum. Si inflammatio vehementior est, interdum etiam glandulae axillares intumescunt et jam mania puerperalis adeo observata est cum ingenti appetitus coëundi irritatione conjuncta, quae abscessu erupto statim evanuit.

Exitus hujusce mastitidis sunt resolutio, induratio, suppuratio. — Resolutio raro succedit et tum quidem tantum, quum inflammatio lenis est et si medicus statim ab initio ad eam curandam arcessitus encheiresibus aptis uti potest. — Saepius indurationes nascuntur, perduratae et per diu manentes, ita ut pro degeneratis scirrhis haberi facile possint; sed benignae sunt et in resolutionem aut certe in suppurationem traduci possunt. — *Exitus* in scirrhum est rarus; sed tum eum factum esse credi poterit, quum omnia tentamina resolutionis vel suppurationis efficiendae ad irritum cadunt et malum non minuitur, verum augetur.

Exitus frequentissimus mastitidis puerperarum est in suppurationem. Pus aut in uno loco aut in pluribus colligitur. Incepisse suppurationem, si inflammatio vehemens et individuum irritabile est, horrore et redeuntibus ceteris symptomatis febrilibus cognoscitur. Jamjam cutis unus vel plures loci tolluntur, in quibus fluctuatio bene sentitur. Cutis paulatim colorem mutat et livida redditur uno loco, circa quem verò major rubor et intumescencia conspicitur. Perdurante autem suppuratione hae indurationes tolluntur, locus fluctuans magis usque surgit, ita ut eminentem tumorem formet; denique flavae maculae apparent et, tumore rupto, pus statim evacuatur. Effluvio deinde aliquamdiu manente, durities, quae adhuc est, paulatim cedit et postremo, secretionem minima facta, abscessus clauditur.

Eo modo morbus decurrit, si suppuratio in uno tantum loco se evolvit; sin autem in pluribus locis vel tota mamma erupit, vehemens febris existit et mamma admodum tumefacta, dolens et rubefacta est. Iisdem tumulationibus, quae paulo ante memoratae sunt, plura foramina formantur, unde multum pus effluit. Quamquam nunc mamma collabitur, tamen puris secretio diutius durat quam in casu priori, quod affectio multo vehementior fuit et latius patuit. Si suppuratio profundiori loco sedet, haud raro pus altius descendit, quo facto nova inflammatio efficitur et malum saepe admodum prolongatur. — Eodem modo nonnunquam oriuntur ductus fistulosi, effecti partim eo, quod pus altius descendit, partim eo, quod prava morbo medendi ratio inicitur, praesertim si tumor justo maturius aperitur et penicillae eo induntur; quo facto vulneris margines fiunt callosi et suppuratio in profundo alitur. Observatum etiam est, inflammationem, si sedes admodum profunda erat, aut si abscessus fistulosi adhuc erant, mitissimam vel tantum partialem decurrisse, nec vero esse dissolutam, sed in statum quandam transgressam inflammationem inter et indurationem medium, quo morbus magnopere prolatus est, donec tandem contigit, inflammatione adaucta suppurationem salubrem adducere. — Non solum in partiali, verum etiam in universali mammae inflammatione morbi recidiva saepe observantur. Si abscessus apertus, imo sanationi jam propinquus fuit, repente febris cum dolore et tumore oritur, partes circa aperturam abscessus sitae rubescunt, denique ingens puris copia aut per vetera aut per recens facta foramina effluit, quo facto morbus ita, uti supra explicatum est, decurrit et abscessus paulatim se concludunt. Quae recidiva iisdem

procreantur causis, unde malum primum erat profectum, plerumque frigoris injuria, peccatis diaeteticis, animi affectibus. Nunquam vero aut certe perraro pure in partes profundiores penetrante recidiva efficiuntur, quamobrem ratio eorum, qui hanc quoque morbi recidivi causam esse putant, ideoque abscessum mature aperiunt et, ut apertus maneat, penicillis inditis efficiunt, plane condemnanda est, propterea quod ea ratione morbus valde prolongatur et male decurrit.

Causae mastitidis distribuuntur in praedisponentes et occasionales; quae utraeque saepe conjunctae exstant. In mastitide traumatica causae praedisponentes non sunt.

Causae praedisponentes. 1) *Constitutio mulierum.* Feminae, quarum oculi caerulei, capilli flavi, fibra laxa, irritabilitas ac sensibilitas magna est, quum omnino rebus externis, tum maxime hoc morbo facile afficiuntur; contra feminae robustae, facie subfusca, eae praesertim, quae vitam laboriosam degere solent, illi multo minus sunt expositae nec mastitide vexantur nisi perturbatione aliqua vehementiore praegressa.

2) *Aucta congestio et functio in mamma.* Haec locum habet in vario corporis statu. Primum enim in menstruatione observatur, in qua dispositio ad mastitidem multo major est quam alioquin, id quod etiam intumescencia nodulorum lacteorum, si qui fortasse exstant, cognoscitur; tum etiam in graviditate observatur; noduli lactei si exstant, saepe sanguine affluente in inflammationem et suppurationem vertuntur; sed etiam sponte mamma inflammari potest, adeo ut saepe nonnisi ira, terrore etc. opus sit, ut inflammatio enascatur. Morbi tunc idem est decursus atque in puerperis. Maxime vero

ad inflammationem proclivis mamma est in puerperio et eo magis quidem, quo brevius temporis spatium post partum editum praeteriit. Frequentissime mastitis a quarto vel quinto die usque ad quartam vel quintam hebdomadem post puerperium inceptum oritur, postea rara est et, ubi lactare mulier desinit, dispositio ad eam plane evanescit. Augetur etiam dispositio, si jam prioribus in graviditatibus mastitis exstiterat, at minuitur eo magis, quo pluribus puerperiis mulier jam est feliciter defuncta.

3) Aliquam ad mastitidem progignendam vim quoque mammarum habere videtur; certe in mammis admodum plenis et tensis saepius quam in parvis et laxis se evolvit.

4) Frequens etiam mastitidis causa sunt papillae parvae in mamma occultae, non per hoc quidem ipsum formationis vitium, sed quod, lactis secretionem impedita, inflammatio oritur, eo effecta, quod infans nihil aut certe minimum sugere potest, et ita mammae lacte nimis repletae vehementer irritantur. Hoc malum praecaveri quidem posset, si graviditatis tempore papilla sugendo protraheretur, quod vero plerumque negligitur; partu autem edito, sero fit et quae tum saepe applicantur antliae vasaque vitrea aquam exhaurientia etc. efficiunt, ut inflammatio magis excitetur quam prohibeatur.

5) Causae praedisponentes etiam sunt organici mammae morbi jam exstantes. Eo pertinent noduli lactei et cicatrices abscessibus prioribus relictas, praesertim si eorum ambitus est major.

6) Porro nocet, sero infantem mammae admoveere, id quod nunc quidem minus quam prioribus temporibus occasionem mastitidis praebet, ex quo colostrum infanti

non esse noxium credunt, et infanti modo nato mammas praebere mater jubetur. Tempore priori matri non licebat infantem mammae admovere, priusquam 24 — 36 horae post partum praeteriissent, unde factum est, ut accumulato lacte vasa lactea nimis implerentur et levi causa occasionali mastitis progigneretur.

7) Lactatio prorsus intermissa plerumque puerperae non nocet, scilicet si cutis secretio et abdominis evacuatio justa ratione procedit; sin vero hoc non fit, congestio ea re ad mammas effecta mastitidi occasionem maxime secundam offert.

Causae occasionales. 1) Irritamenta mechanica, ad quae cujuscunque generis laesiones pertinent. Eae variam in mastitidem procreandam vim exercent, prout major minorve mammae est vigor. Ictus, plaga, pressus etc., si mammas feminae haud lactantis laedit, lenem quidem, non ita dolentem, sed facillime in indurationem malignam transeuntem inflammationem movet. At si gravidae vel lactantis mulieris mamma violatur, inflammatio oritur multo major quidem, sed cura idonea adhibita prospere decurrit, ita ut morbus illé succedaneus supra dictus non oriatur.

2) Excoriationes papillae duplici ratione mastitidis causae sunt; partim enim inflammatione latius serpente, partim eo, quod magnum propter dolorem lac ab infante sugi non potest et mamma lacte nimis impleta facile inflammatur, morbo procreando ansam praebent.

3) Saepe etiam mastitis eo efficitur, quod corpus frigore, aerae perflatu adstringitur, nec tantum quidem tum, quum solae mammae frigoris injuriam patiuntur, id quod praesertim sedendo ad apertas fenestras accidere solet,

sed tum quoque, quum totum corpus perfrigescit, praecipue in puerperis, in quibus tum pro catarrho mastitis oritur, propterea quod mamma, pars minoris resistentiae, ad omnem vim externam multo magis quam alia organa patet.

4) Postremo huc pertinent affectiones psychicae, animi perturbationes, quae omnino puerperas magis movent ac vexant quam alias. Inter illas referenda imprimis est ira, indignatio, terror, imo repentinum gaudium, dum eae, quarum effectus tardior est atque depressens, ut aegritudo, cura, somnium, angor, tantum lactis secretionem mutant et lac ipsum noxium reddunt. Denique etiam mulieres, quae ad ebrietatem usque biberant, mastitide affectas esse constat.

Prognosis in mastitide omnino est fausta. Si mastitis artis lege curatur, fere nunquam mala et incommoda relinquit; imo etiam male curatae mastitidis pessimus eventus est induratio aut atrophia mammae. Quarum quidem illa haud difficile plerumque sanatur, haec sanitati mulieris non est periculosa. Tunc demum prognosis infausta est, si mulieris haud gravidae vel puerperae mamma vi aliqua mechanica laeditur, unde plerumque scirrhus se evolvit, qui in aegrotata mulieris lactantis mamma nunquam nascitur; hic enim mamma in statu congestionis tali est, ut suppuratio oriatur, non vero, sicuti in illo casu, status subinflammatorius, qui indurationem efficit. Vitae rarissime periculum imminet, praeterquam in scirrhus et in statu hectico suppuratione profusiori effecto.

In *therapia* haec sunt imprimis observanda. Medicus magnopere caveat, ne conatus malum resolvendi nimis diu continuet; temporis enim spatium, quo mastitis resolvi

potest, brevissimum est, quo praeterito si illi resolvendae opera navatur, morbus, evolutione suppurationis impedita, facile abnormis decurrit. — Curatio topica, quantum fieri potest, simplex sit et universales encheireses malo accommodatae.

Ad curandi rationem breviori et clariori in conspectu videndam, eam in primi et secundi stadii therapiam dividimus, quarum illa ea est ratio, quae usque ad initium suppurationis initur, haec vero ea, quae a suppuratione inde incepta valet.

Curatio mastitidis primum per stadium. — Commodissimum est, si ipsi primordio morbi medicus supervenit, quoniam eo tempore pericula mali resolvendi facile prosperum eventum habent, quae si sero fiunt, plus nocent quam prosunt. Itaque primum indicatio causalis impleri debet: si frigore aegrotata afflicta est, corporis calefaciendi causa lecto teneatur, thea diaphoretica bibenda ei praebatur et, ut cutis secretio non interpelletur, provideatur. In vehementioribus et repentinis animi motibus remedium leniens aliquod, pulv. temper. etc. idoneum est. Si in diaetam peccatum est, malus, qui inde oritur, effectus emetico tollatur et ut alvus laxa maneat, remediis leniter evacuantibus vel clysmatibus prospiciatur. Qua autem in ratione incunda diligenti cautione opus est, quoniam nonnisi ab initio convenit. Porro lactationem continuari omnino oportet, si fieri id potest, scilicet si papilla non nimis parva est, si lac discernitur, denique si infans lactendi appetens est, qui si mammam repudiat, alius lactens mammae admoveri potest. Continua lactis evacuatio eo valde prodest, quod ad inflammationem resolvendam plurimum facit, vel, si nec resolvi inflammatio nec vitari

suppuratio potest, inflammationem magnopere coërcet, quominus ea latius manet, impedit et ita malum valde lenit. Nam si lac in mamma retinetur, sive quod lactatio nimis dolet, sive quod ea ab imperitis dissuadetur, sive denique, quod lactens non est, morbus semper plane se evolvit neque jam partialis mastitis, sed universalis sive perfecta evadit. Medici multi quidem et obstetrices lac in tali tempore infanti nocere putant, id, quod experientia refutatur, quia lactis qualitatem non esse mutatam nec infanti noxiam constat, praesertim si matris timidæ cura et angor levatur, ne forte animi affectu lac malum reddatur.

Ad evacuandum lac infantis vel etiam adulti labiis illud sugere sine dubio optimum est, quod etiam naturæ maxime convenit nec damnum infert. Varios quidem apparatus artificiosos ad exsugendum lac invenerunt, qui vero omnes pariter ac multa alia instrumenta inter res inutiles et supervacaneas merito referuntur, propterea quod non solum non necessarii, verum etiam nocivi sunt. Etenim partes inflammatas premunt et papillam nimis protrahunt, qua re vehemens irritatio mechanica efficitur. Neque illis adhibendis lactis evacuatio tanta tamque perfecta efficitur, quam sugendo, quoniam margines instrumentorum adhibitorum marginem papillae premunt, quominus lac affluat, impediunt et ita vasa lactifera irritant. Itaque negari omnino non potest, suctum naturalem longe præferendum esse suctui arte facto, unde quod non plura incommoda ac mala accidunt, robustæ constitutioni nonnullarum feminarum tribuendum est, quæ talem quoque tantamque vim perferunt. Ita nimirum natura morbis, quamvis curandi ratio sit plane perversa, sæpe feliciter medetur.

Simulatque lac effluere amplius non potest, quod tum accidit, quum morbus jamjam longius processit, a quovis inflammationis resolvendae periculo prorsus est desistendum, quod haud dubie suppuratio tunc sequitur, quam ipsam adjuvare maxime expedit. Verum non omnes medici eam medendi rationem ineundam esse judicant et prioribus praecipue temporibus multa morbi resolvendi pericula fiebant, quae nobis aliquanto accuratius explicanda sunt, quoniam de nullo fere morbo tot prava judicia et falsae sententiae, quot de mastitide invaluerunt, eo magis impugnandae, quo graviora sunt mala inde oriunda.

Primum de usu fomentorum ex aqua cum alcoholo vel e solo alcoholo constantium dicamus, quae priori tempore saepissime ad inflammationem mammae resolvendam adhibita sunt. Sed duplex ejus remedii est incommodum, unum, quod cutem irritat et facile erysipelas progignit vel erysipelas jam exstans adauget, alterum, quod eventum in nodulos lacteos juvat, dum dolor et inflammatio paulatim evanescit. — Jam minus officiant fomenta e cerevisia et butyro soluto facta; neque vero ea ipsa sunt commendanda, quod humore in abdomen defluente corpus facile perfrigescit et, suppuratione incipiente, illa ultro omitti debent. — Magis noxia sunt fomenta e soluto ammon. mur. vel ex aliquo kali vel sapone in aqua vel lacte soluto facta, quippe quibus incommoda eadem, quae omnino remediis humidis, afferuntur et praeterea inflammatio tantum eo modo coercetur, ut nodi lactei oriantur aut suppuratio retardetur et in profundum penetret. Simul haec fomenta facile atrophiam et laxum mammae statum efficiunt, quam ob rem solam ab illis desisti oportet, quod mulierum permagni interesse debet, ut mammae sint integrae.

Non minus rejicienda sunt emplastra e variis substantiis composita, quae saepissime a medicis et obstetricibus adhibentur. Tantum enim abest, ut inflammationem resolvant, ut potius saepe erysipelas procreent nec solum suppurationem in mamma augeant, sed omnem telam cellulosa inter mammam et cutem in pus vertant, quo facto fistulae periculosae, vel, si res optime evenit, cicatrices deformes oriuntur.

Pluris aestimandae sunt infrictiones, quae ung. merc. solo vel cum ung. ammon. mixto fiunt. Negari quidem non potest, hocce remedium inter inflammationem non posse tolerari, quod nunquam malum resolvit, sed ad summum erysipelas procreat; sed ibi locum habet, ubi suppuratio non bene procedit et circa suppurationis sedem partes quaedam durescunt, dolore non aucto. Quod si accidit, quotidie bis 1 scr. ad $\frac{1}{2}$ dr. illius unguenti loco duro infricantur. Eo inflammatio serpens augetur, dolor et rubor rursus creseit et, perfecta suppuratione existente, partes durae plane emollescunt. Simul cataplasmata adhibentur, tum quoque continuanda, quum in bona suppuratione infrictiones intermittuntur.

Optimum remedium ad mastitidem resolvendam est calor siccus, ita adhibendus, ut mamma lana vel pellibus, quas mollissimas esse oportet, ne qua inde fiat irritatio, obvolvatur. Praestantiores sunt pulvilli herbis medicatis referti, scilicet speciebus emoll., farina, flor. sambuc. etc. referti; species arom. nocent, quod inflammationem augent. In his pulvillis faciendis diligens cautio adhibenda idque maxime spectandum est, ut, quae inseruntur, substantiae in tenuem pulverem sint redactae, pulvillus vero ita sit formatus, ut, non premens, mammam bene obte-

gat. Pulvillus ita factus, facile ab aegrotata toleratur, id quod non fit, si herbae non satis contritae acutis suis partibus prominentibus mammae irritant, aut si pulvilli non sunt bene formati et sic mammae impositi, ut eam premant. Maximum damnum infert pulvis nudae mammae inspersus, quippe quo superficies irritata facile inflammatur, cutis secretio impeditur et lactis profluvium turbatur.

Sed caveat medicus, ne nimis diu sicco calore utatur. Itaque nisi brevi tempore inflammatio resolvitur, caloris usus intermittendus et ad cataplasmata e pulve facta transendum est. Quae quamquam alioquin magis suppurationem juvant, quam inflammationem tollunt, tamen in mastitide non idem efficiunt, ita ut contra, si lactis profluvium non est cohibitum, plerumque inflammationem resolvant; dolor, rubor, intumescencia minuitur, denique, duritiae prorsus cedente, inflammatio desinit. Sed, uti jam diximus, curandum est, ne lactis evacuatio turbetur, quod nisi fit, impediri non potest, quominus morbus in suppurationem transeat. Qua de re paulo post accuratius disputabitur. Denique quod ad internam therapiam hoc morbi stadio attinet, ea lenis diaphoresis finibus contineatur, nisi res peculiares aliam rationem postulant; dentur levia infusa e valeriana, sambuco nigra, chamomill., cum kali acet., ammon. acet. etc. Remedia evacuantia, quamquam saepe symptomata gastrica iis uti medicum cogunt, tamen omnino nocent et decursum normalem retardant.

Curatio mastitidis secundum per stadium. Si curandi ratione modo explicata medicus eo, quo voluit, non pervenit, scilicet mastitidem non resolvit, suppuratio oritur, quae, symptomatis inflammatoriis manentibus, eo conspicitur, quod tumor mollis fit et fluctuatio apparet, qua ex-

sistente curatio ad resolutionem spectans omittenda idque videndum est, ut suppuratio juvetur et acceleretur. Si jam primo stadio cataplasmatum usus factus est, is continuandus est, quoniam cataplasmatibus, ut suppuratio bene decurrat, optime efficitur. Quibus bene utendi rationem paulo accuratius consideremus, quoniam inde bonus malusve eventus plerumque pendet.

Cataplasmata e farina vel pane siliginea cum lacte, placenta linea vel herbis emollientibus in lacte coctis parantur et tepidae spleniae ope mammae imponuntur. Sed nonnisi interdiu adhiberi possunt, quod, si etiam noctu in mamma jacerent, refrigescerent et ita plus nocerent quam prodessent. Noctu autem eorum loco emplastrum imponitur ei parti mammae, ubi sedes suppurationis est, maxime quidem emplastrum diachyl., superque eo lana vel linum, quod mane iterum cum cataplasmate permittitur. Nonnisi curatrix fide digna aegrotam custodit, cataplasmata etiam per noctem continuare fas est. Utilissimum est cataplasmata solis iis substantiis parare, quas modo memoravimus; irritantes enim, aromaticae substantiae admixtae nocent, raro perferuntur, e. c. sapo, cepa etc. et erysipelas augent. Idem de cicuta, hyosc., cap. papav. valet, maxime si lac adhuc effluit, quoniam infanti sugenti his substantiis narcoticis damnum inferri potest.

Praecipue cataplasmata commendantur, ubi mamma valde dolet; sed tum praestat usus croci eo, quod noxii effectus secundarii non insequuntur. Utiliores sunt in magna duritie mammae inflammatae et si lac fluere desiit; attamen tunc quoque unguentum neap., cujus quotidie 1 scr. ad $\frac{1}{2}$ dr. infringuntur, parem vim habet et resolutionem ac suppurationem multo magis accelerat.

Hac sola therapia, idonea quam explicavimus, mastitis radicibus sanari potest. Therapia autem adjuvatur usu remedium incitantium, volatilium, quae suppurationem et sanationem abscessus accelerant. Eo pertinet infusum valer., cal. arom., serpent., cinnam. etc. cum aliqua copia liq. c. c. succ. aut liq. Hofm.

Sed caute haec remedia adhibenda et tum demum praebenda sunt, quum inflammatio prorsus exstincta est, febris reactio non exstat et suppuratio tardior procedere incipit. China autem raro utendum est, partim quod a puerperis aegre toleratur, partim quod systema vasorum abdominalium excitat et eo modo universam valetudinem bonam turbat. Neque minus nocet calomel., quo organa abdominis etiam magis debilitantur et morbi character, uti experientia docet, difficilis ad sanandum redditur; id quod etiam de usu multorum remedium evacuantium valet, quae non nisi revo valde obstructa adhibenda sunt et tum quoque clysmatibus melius compensantur.

Jam si suppuratio longe processit et fluctuatio satis perspicua est, id agitur, utrum abscessum arte aperire, an natura erumpi praestet. Utraque sententia tam defendi quam impugnari potest; itaque equidem optimum esse duxerim, singulos casus discernere et pro diverso morbi statu diversam quoque sanandi rationem inire.

Adversarii apertionis artificiosae multas contra hanc causas, partim veras, proferunt. Dicunt enim: » si paulo » profundiori opus est sectione, prohiberi nequit, quominus nonnulla lactifera vasa dissecantur, unde nova inflammatio et intumescencia oritur, quae sanationem non

»parum inhibet, praesertim si postea quoque in vulnere
»ligando et curando peccatur. Ita fit, ut saepe mulieres
»mammis aegrotis laborantes per plures menses a medicis
»cruciatae tandem ab anis et obstetricibus emplastri ali-
»cujus ope etc. celeriter sanentur. Porro si abscessus pro-
»fundus magnusque est et arte aperitur, evacuatio non
»paulatim fit, sicuti in apertione naturali, sed repente, ita
»ut cavum spatium efficiatur, parietes cavi abscessus late
»distent et, ut concrecant, multo longiori tempore opus
»sit quam alio in casu, ubi, pure sensim sensimque ef-
»fluente, parietibus satis temporis est sibi appropinquandi
»et tandem plane adhaerescendi. Denique ubi mamma arte
»aperta est, pejores relinquuntur cicatrices quam forami-
»nibus sponte factis; cutis circa illas admodum proclivis
»est ad consumptionem et, punctione facta, sic contrahi-
»tur, ut cicatricis facies foeda evadat, id quod alias non
»est, quoniam aperturae ultro factae, quae perparvae esse
»solent, parvas etiam cicatrices relinquunt. Et sane qui-
»dem eorum, qui ita dicunt, sententia in casibus nonnullis
»nequaquam est improbanda; at negari non potest, saepe
»apertionem artificiosam esse praefendam. Si sedes ab-
»scessus adhuc in profundo est et tegumenta superficiosa
»nondum mollia facta sunt, punctione abstinendum est;
»sin autem abscessus jam in superficie est, fluctuatio
»bene sentiri potest et cutis tegumenta resorbendo tenuis-
»sima reddita sunt, scalpello utendum esse censeo. Qua
»in re autem id curandum est, ne repente omne pus ef-
»fluat, sed ut pluribus temporis intervallis paulatim eva-
»cuetur. Quibus in casibus si mamma aperitur, nullum est
»periculum, ne vasa lactifera dissecentur, quoniam in parte

superficiosa, quae scalpello inciditur, jam omnia in pus sunt versa. Utrum denique pulchrae an foedae sint cicatrices, parum refert, dummodo malum sanetur.

Jam postquam pus evacuatum est, medicus caveat, ne turundas ad profluvium sustentandum, aut ad aperturam dilatandam penicillas comprimentes in vulnus indat, quae res quantum noceant, adeo dilucet et tam bene omnibus constat, ut non sit, quod de iis fusius dicamus.

Therapia post abscessum apertum adhibenda est simplex. Interdium vulneri turunda (*plumasseau*) superque ea cataplasmata imponuntur, quae, donec suppuratio ad finem vergit, continuantur; mamma idonea fascia pectorali sustentatur; noctu foramen emplastro adhaesivo operitur. Ita pus profluere paulatim desinit, abscessus sanari et cicatrix formari incipit. Tum, cataplasmatibus omnino remotis, soli pulvilli vel panniculi lanei mammae imponuntur, donec vulnus plane sanatur, quod plerumque brevi evenit. — Remediis internis non amplius opus est. Recidiva in mastitide apparentia pariter atque ipsa mastitis curanda sunt; quae quum plerumque benignae naturae sint, therapiam non reddunt difficilem.

Jam hac nostra commentatione de mastitide ad finem perducta, certo speramus, fore, ut omnes medici in curando hoc gravi morbo rectam viam ingrediantur, ne sanatio tamdiu retardetur, quamdiu saepe eam retardari constat. Gratulandum quoque est mulieribus de bona mali eas toties vexantis curatione, qua prohibetur, quominus eae, quae modo molesto et gravi puerperio perfunctae sunt, diu isto malo crucientur. Denique summum fructum ex idonea mastitidis curandae ratione ars medica ipsa capit

eo, quod liberatur contumelia et ludibrio, quo toties ani
et obstetrices eam notant, quae simplici curatione morbum
saepe sanant, postquam medici docti per plures menses,
imo annos frustra omnem operam malo sanando navarunt.
Probatum hic quoque illud: *nulla curatio praestat cura-
tioni pravae.*

LITERATURA.

- Rowley, W.*, Abhandlung über die gefährlichsten Zufälle an den Brüsten der Kindbetterinnen, nebst Bemerkungen über den Krebs und dessen Heilarten. Breslau 1794.
- Müller*, fragmentarische Bemerkungen über die Entstehung und Heilung der Entzündung und Vereiterung der Brüste bei säugenden Weibern, in *Siebold's Chiron*. II. 2.
- Benedict, T. W.*, Bemerkungen über die Krankheiten der Brust- und Achselrüsen. Breslau 1825.
- Sponitzer*, über Entzündung, Eiterung und Verhärtung der Brust, besonders der Wöchnerinnen; in *Hufeland's Journal der praktischen Arzneykunde*. VII. 3.
- Holscher*, in *Rust's und Casper's* kritischem Repertorium für die gesammte Heilkunde. Berlin.
- Plessmann*, in der medicinisch-chirurgischen Zeitung. Salzburg 1803.
- Treuner*, in *Stark's* neuem Archiv für Geburtshülfe etc. Jena. II. 1.
- Boer*, natürliche Geburtshülfe und Behandlung der Schwangern, Wöchnerinnen und Kinder. III. Wien 1817.
- Berndt*, in *Rust's* Handbuch der Chirurgie. VI. 1832.
- Moser*, im encyclopäd. Wörterbuch der medicin. Wissenschaften. XXII. Berlin 1840.
-

THESES DEFENDENDAE.

1. Natura dysenteriae est ignota.
 2. Studium nova medicamenta inveniendi est vituperandum.
 3. Senna non irritat.
 4. In typho stadia non sunt.
 5. Haemorrhoidum ne minima quidem analogia est cum menstruatione.
 6. Encephalomalacia et hydrocephalus inflammatorius non sunt peculiare morborum species.
 7. In inflammationibus, quae intra cava corporis sunt, hirudines non prosunt.
 8. Graviditas est normalis status mulieris.
 9. Perforatio vivo etiam infante est facienda.
 10. Quae nunc est lupanarium instructio justae administrationi politicae medicae nequaquam respondet.
-

THESE HYPOTHESE

1. Natura generatrix est pura
2. Stadium non necessitate incrementi est terminatum
3. Spatio non finito
4. In ipso stadio non sunt
5. Hæmorrhagia in motu quidem analogo est cum
6. Facultatibus et hydrocephalus inflammatorius non sunt peculiaris morborum species
7. In inflammationibus quæ intereuntæ neque sunt hæmorrhagie non præsent
8. Crivilla est rotunda status nullus
9. Ponticus vive etiam intus est latens
10. Quæ tunc est supranum instructio facta edunt actioni pollicis medicæ nequequam respondet